

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

taſti, quod per Reverendos Viros, Collegas tuos, fratres & Dominos chariſſimos, in promovendo negotio meo apud D. Conſulem, ſollicitaris. Maxime verò, quod me & deinceps ſperare bene, jubes. Huic juffioni tuae ego deinceps acquieſcam. Cæterum de libro ſceleftiſſimi transfugæ contra te impreſſo (quia ultra has chartas, quæ continent præfationes duas, hæcenus nil vidi) Auguſtam ad filium meum obedi-entem & chariſſimum, Joannem Wolffgangum, pharmacopæum, ſcripſi, ut ipſe mihi in hoc transmittendo gratificaretur. Hic inter alia his verbis, ad hanc meam petitionem reſpondit. De Blaſphemii (ſcribit) apoſtatae noſtri, hæc habeto. D. Neupergero (eſt iſtius paſtor Eccleſiæ Franciſcanæ ibidem) de iſdem plane nil conſtare. Adii ergo ipſemet Bibliopolam noſtratam, nomine Willerum, ut ex ipſo perquire-rem, num venales exiſterent; Is eaſdem nondum integrè abſolutas, ſed adhuc Dilingæ ſub prælo eſſe, ſignificavit. & Authorem, jam per aliquot tempus ab inſtituto & incepto opere, propter cauſas neſcio quas deſtititſe. Tandem ſubjungit idem filius meus & inquit; Miror proſecto hujus perverſiſſimi & ſclerati hominis, petulantem audaciam, qui (proh dolor!) non erubeſcit, tam eximia & ſpectatae au-ſtoritatis virum doctiſſimum, ſuis convitiis & calumniis plus quam Diabolicis laceſ-ſere. Sed (mihi crede) hujus ſummæ temeritatis aliquando condignas dabit pœ-nâs. Habes, vir Clariſſime, ex filii relatione, quantum mihi de eo libro conſtet. Ego tamen hodie reſcripſi, ut à Willero mihi impetret tot, quot impreſſa ſunt, folia, ea poſtquam naçtus fuero, ſtatim, ad primam oblatam occaſionem, tibi transmit-tam.

Controverſiæ inter te & Sturmium motæ expecto, ſicut & ardentibus votis expe-cto, *κατὰ τὸν Φῶν* latam.

Qui rumores ſpargantur de laniena Gallica, ſi per negotia & valetudinem lice-rit, copioſius, rogo, ad me perſcribito. Audivi ante dies 10. de ea copioſè diſſe-rentem, D. Tradelinum, Reipublicæ Auguſtanae Advocatum, ex relatione D. Lan-gueti, Electoris Saxonici oratoris & legati, qui tum temporis Pariſis fuit. Ego ſa-ne judico, præludium fuiſſe eam, ſubſecuræ internecionis per univerſam Germa-niam. Bene & feliciter vale, Vir Reverende, frater chariſſime. Raptim, 16. No-venbris, Anno 72.

T. R. d.

ſtudioſiſſimus

Ludovicus Rabus, D.

CXX.

S. in Chriſto. Doctiſſimi D. Magiſtri.

Mitto literas, quas ad D.D. Eccleſiarum & Scholarum Saxonicarum ſcripſi. Rogo autem, ut ſingulis vel ſaltem unum Diſputationis exemplar addatis. Sic

Kkk 3

enina

anım per tetam Saxoniam commodius spargi poterit. Optarem etiam, vos in transitu apud singulos vivam Epistolam esse posse. Sic ad illos patebit vobis accessus, & si quid suspicionum in illorum animis lateat, possitis vos illis eximere, addita semper commonstratione de communi negotio concordia adjuvanda. Quod si quibusdam exosum esset meum nomen, potestis autoritate Nominis, vestrique Parentis illis fidem facere. Quominus fidem habeant clamoribus Heshusii. Quamvis caute vobis erit agendum. Omnino autem in transitu reddendo literas alloquamini D. D. Kemnitium Brunsvigæ, similiter & Lüneburgenses & Lubecenses, quibus omnibus salutem meo nomine dicatis & quæcunque exploraveritis, ad me perscribatis. Erunt vobis quædam devoranda, quæ tamen facile diluctis veritatis simplici narratione. Quod de proditoribus veritatis Wittenbergenſibus Doctoribus locutus sum, occasione oblata non dissimuletis. Quod si opus est publica apologia, non patiar illam in me desiderari. Postquam video, nullam amplius de Wittenbergenſibus speiri esse, quibus facta est frons meretricis. Bene & feliciter valete. Negotium diligenter agite & me de omnibus primò quoque tempore certioſem facite.

Jacobus Andreæ.

CXXI.

*S. D. Reverende & Clarissime vir, præceptor
& patrone colende.*

Filium DEI *ἀποστόλων ἁγιῶν ἰσὶ ἐργῶ ἡδὴ ἰέρων*, à cujus Genethliis, quæ salutis nostræ præsentis & æternæ exordium fuerunt, Annum novum recens in Ecclesia exorſi sumus, toto pectore precor, ut juxta dulciſſ. Psalmi promissionem: Plantati in domo Domini, in atriis domus DEI nostri floreant, atque etiam in senecta vigentes & florentes erunt: Tibi in hoc senectæ aditu, & laboribus ac morbis fractâ valetudine vires animæ & corporis conſeruet, & longa vitæ spacia propter Ecclesiam addat, & annum præsentem faustum felicem, tranquillum & salutarem Tibi & honestiſſimæ matronæ conjugii tuæ, & ingenioſiſſ. ac optimaſſ. ſpei Filiis tuis, quos non privata tantum domus & familiæ veſtræ, verum etiam Eccleſiæ, quæ est domus DEI viventis, *τοῦτο* fore, DEO benedicente, confidimus, clementiſſime tribuat, & deliberationem noſtram, ad DEI gloriam, & Eccleſiæ utilitatem, & Filiorum tuorum animæ salutem, gubernet. Nam ut in Oratione, qua Pomerano, Crucigero, & Epino gradus iſte decretus eſt, dici meministi: Non ad operes, dignitatem aut volupta-